

## QUAESTIO

### IV

Circa Prologum quaro tertio UTRUM, SICUT SOLA THEOLOGIA OSTENDIT VIATORI PER SE BONUM IN quantum est speculativa, ita ipsa sola sit necessaria viatori ad per se bonum consequendum in quantum est practica? Et arguitur primo contra suppositum sic. Theologia in quantum speculativa non ostendit viatori per se bonum; ergo suppositum falsum. Consequentia est nota. Sed probo antecedens quia non ostendit quod sit aliquod tale bonum quod est infinite et summe bonum; ergo nec ostendit quod sit aliquod per se bonum. Probatur consequentia: quia per se bonum esset a seipso bonum, et nullo alio bono bonum, et foret primum bonum, et aeternaliter bonum, et per consequens bonum summum et infinitum. Sed probatur antecedens: quia nulla habetur ratio ostensiva per theologiam de esse talis boni.

Secundo contra secundum suppositum arguo, scilicet quod Theologia non sit practica vel speculativa; et arguo sic. Nulla scientia practica directiva viatoris dictat praxim viatori simpliciter impossibilem secundum quod viator: sed Theologia dictat praxim impossibilem viatori secundum quod viator; ergo ipsa non est dicenda practica respectu operabilis viae. Maior est nota: frustra enim fieret dictamen practicum, cui nullus se potest conformare. Minor patet: quia Theologia dictat Deum esse diligendum Ex toto [90] corde et ex tota anima; quod non est possibile viatori ut viator est, secundum Augustinum. Item dictat Deum infinite esse diligendum, quia infinite bonum praedicat: sed nulla creatura potest aliquid infinite diligere; videtur igitur quod, cum Theologia non sit de praxis viatoris, quod ipsa non sit practica dicenda, cum quaelibet practica sit circa operabile possibile. Sed probe quod etiam non sit speculativa: quia finis huius scientiae est, ut viatores boni fiant; sed in speculatione non consistit bonum viatoris ut sic, sed magis in operatione, secundum illud Iacobi 1. Estote factores verbi et non auditores tantum.

III. Arguo contra principale quaesitum. Multi viatores consecuti sunt, et consequuntur multi ultimum finem et beatitudinem, et per se bonum sine habitu Theologiae; ergo quaestio falsa quantum ad praeciocentem. Consequentia nota est: sed antecedens patet de vulgaribus fidelibus et laicis, item de pueris etc.

Oppositum et pro veritate primi suppositi arguo sic. Sola Theologia cognoscitur esse aliquod summum bonum et infinite perfectum in entibus, et hoc cognoscitur mere speculative; ergo. Consequentia patet: et antecedens probatum est supra q. prima. Pro veritate quaesiti arguitur sic. Sola Theologia tradit vera media et rectas regulas practicas, quibus viator pervenire potest ad terminam viae, scilicet ad beatitudinem; ergo ipsa est necessaria viatori, et nulla alia ad per se bonum consequendum.

Respondendo ad quaestionem, seguendo doctrinam solidam Magistri Hugulini, sicut solitus sum frequenter; I. praemitto declarationes, II. ponam conclusiones de suppositis, III. ponam conclusiones pro solutione quaesiti principalis.

### ARTICULUS I

Praemittuntur Declarationes. Quantum ad primum; pro cognitione differentiae inter praxim [91]

et speculationem, et inter habitum practicum et speculativum, primo declaro quid proprie sit Praxis: ex quo apparebit quid sit notitia practica. Describo igitur praxim in generali sic:

Praxis est Aliquam elective operari sive conformiter recto dictamini, sive malum vel male et difformiter dictamini recto. Et haec descriptio se extendit tam ad praxes virtuosas, quam ad vitiosas; quaelibet enim talis est operari elective et libere. Aliquem dico: non dico hominem tantum, nec Angelum nec Deum tantum, sed dico Aliquem; quia tam homo quam angelus, etiam ipse Deus in natura assumpta habuit praxes virtuosas. Praxis autem virtuosa in speciali potest sic describi.

Praxis virtuosa est Aliquem elective operari conformiter rationi rectae, dictanti qualiter operari bonum est illi secundum quod viator. Et haec descriptio intelligitur de praxi theologica viatoris. Unde primo loco generis ponitur in descriptione hoc complexum Aliquem operari: eo quod praxis actualis non est adaequate aliqua qualitas absoluta, sicut operatio vel actus; posset namque haec quaelibet operatio, ut essentia vel qualitas quaedam est, esse et non esse praxis, id est agere. Melius igitur dicitur, quod Praxis est hoc complexum, scilicet agens aliquod agere, vel operari; quam quod fit operatio vel actus. Item per idem distinguitur praxis ab habitu practico, vel a notitia practica, et similiter ab ipsis potentiis. Item ab omni alio quod non est naturam intellectualem agere.

Secundo ponitur in dicta descriptione elective: ad denotandum quod ad praxim requiritur, quod agens voluntarie et sponte operetur, et ut hoc immediate eliciendo, aut mediate actu elicitio imperando. Exemplum primi, ut velle elicitum; exemplum secundi, ut exequi imperatum seu executio actualis. Ex quo sequitur I. quod intelligere imperatum, sive intellectio imperata est, vel esse potest pars Praxis. Patet, quia voluntas sponte potest imperare intellectionem vel [92] considerationem de aliquo intelligibili dictato esse bonum viatori ut intelligat. II. per idem habetur quod actiones exteriores et assecutiones verbaliter significata sunt pars Praxis. Item III. quod dilectis imperata est pars praxis. Item IV. volitiones non imperator, sed sponte eluita sunt praxes; et hoc sive sint complexae sive incomplexae. Item per idem membrum (scilicet elective) includuntur operationes praecise quae sunt in nostra potestate, quia solum tales sunt verae Praxes: et excluduntur operationes naturales, scilicet digestio, vegetatio, [...]: quorum principium licet sit anima intellectiva, non tamen elective huiusmodi agere naturalia principiat; et ideo non sunt Praxes. Per idem etiam concluduntur motus casuales et indeliberati.

Tertio ponitur conformiter rationi rectae dictanti: ad excludendum praxes vitiosas, quia non sunt theologicae nec virtuosae; sed contra dictamen rectae rationis fiunt, vel secundum iudicium erroneum.

Quarto ponitur dictanti aliquo qualiter esse operandum: ad significandum, quod illud operari non cadere debet sub mera speculatione. Unde haec Praxis, quae est dilectio proximi, si cadat sub **actibus** pure speculativa (sicut accidere potest cum ratio de ea speculatur, scilicet quod ipsa est a Deo et a gratia) non practicaret sic dictans; sed specularetur mere. Requiritur igitur, ad hoc quod **dictum** sit practicum et operari conformiter sit Praxis, quod ratio recte dictet aliquo qualiter esse operandum, et doceat qualiter elici debeat ipsa dilectio proximi, et ad quem finem, et quod indicet insinuari sic: Hoc aliquo qualiter agere est, est tibi bonum. Et hoc intenditur per hoc quod in descriptione sequitur, scilicet dictanti qualiter operari bonum est illi, scilicet viatori operanti.

Ultimo per hoc quod dicitur Secundum quod viator: exprimitur qualiter viator per operari proficit ad terminum, ubi perpetue manere debet. Unde bonum **am** viatoris ut viator est, est ad terminum proficere, et termine appropinquare. Ex quo patet, quod omne practicum agere creaturae rationalis, per quod ipsa creatura rationalis aut non tendit in terminum sed manet in [93] termino, ut sunt actus beatifici optimi, aut nec manet nec tendit, sed potius exorbitat a via vel recto cedit, vel viare id est proficere negligit; omne, inquam, taliter operari non est Praxis theologice dictata, sed redarguta et reprobata, quia sunt peccata venialia vel mortalia. Et sic patet descriptio declarata; quae tamen, si placeret proferri sine ultimo membro scilicet secundum quod viator, extenderetur etiam ad Praxes beatorum. Ex quo patet consequenter descriptio Notitiae practicae, quae potest esse talis:

*Notitia Practica* est Dictamen rectum actuale complexum dictans viatori aliquo qualiter esse agendum, qualiter agere est illi bonum secundum quod viator. Per hoc quod dicitur *Dictamen complexum*, importatur quod notitia practica quaelibet est enunciatio mentalis indicativa non optativa, non imperativa vel praeceptiva, nisi large capiatur practica notitia: quia dictamen est enuntiativum, sive propositio enuntiativa movens ad proximum per modum sententiantis

qualiter agendum est, vel saltem est motiva. Per hoc quod dicitur actuale distinguitur Notitia practica ab habitu practico qui est habitualis notitia. **Li** aliquo modo agendum esse capitur ut se extendit communiter ad omnes rectas praxes, elicitas ut volitiones, et ad imperatas ut cognitiones; item ad nolitiones et volitiones, tam positivas quam omissivas: et tunc consequenter li bonum esse viatori potest intelligi per se, id est positive et ex propria bonitate bonum, quo modo bonum est illi Deum diligere; vel est illi bonum propter malitiam oppositi, vel contrarii, vel positivi fugibilitatem, quo modo bonum est illi non peccare. Per dictam diffinitionem implicatur, quod enuntiatio per se practica sive dictamen complexum non est propositio mere de messe; sed est modificata explicite vel aequivalenter per tales adiectiones vel aliquo modo earum, sicut sunt: bonum debitum, salubre, licitum, malum, iustum, iniustum, damnosum, indebitum, illicitum, expediens, mexpediens, oportunitum, et non oportunitum, et huiusmodi; vel per verba aequivalentia, ut: debes diligere Deum. Item **[94]** in praeceptis affirmationis; honora patrem, id est teneris, debes honorare: item diligite inimicos, id est, bonum est te diligere, vel expediens, vel debes. Item in negativis praeceptis Non occides, recta ratio sic dictat: teneris non occidere, vel illicitum est occidere, vel malum est tibi occidere.

Ex quo patet, quod nulla notitia directiva praxis est practica, nisi sit modificata, et immediate ad praxim motiva. Probatum etiam: quia quamvis aliqua notitia (puta A) sit directiva et dictativa qualiter proximus sit diligendus (scilicet quia ut sit iustus, vel quia est iustus), et quando (quia cum occurrit occasio circa salutem eius) et per quae (quia consulendo efficaciter saluti eius, succurrendo necessitati); tamen hoc totum potest cadere sub notitia mere speculativa. Ut cum quis sic concipit: proximo esse subveniendum propter Deum, est rectae rationi conforme: hic conceptus est mere speculativa notitia; sed cum dictatur quasi sentiendo: Tu debes nunc illi proximo subvenire, ut vivat, ad honorem Dei: tunc est primo notitia practica. Quod probatur: quia ex prima non sequitur immediate praxis, quae est diligere proximum modo dicto; sed cum dictas, Tu debes vel teneris, vel licitum est, vel expediens, nunc taliter operari circa proximum illum; hanc non sequi potest conformis praxis: et ideo haec est proprie Notitia practica. Unde bene moveri videtur Magister Hugulinus contra Gregorium in ult. quaest. prologi dicentem: Practicam notitiam esse illam, quae est praxis directiva formaliter, et huiusmodi est enuncians, qualiter, et per quae, et quando, et sic de caeteris circumstantiis, sit agendum. Hoc non sufficit, sed coexigitur modificatio sicut praedictum est, ad hoc quod dicta notitia sit practica; scilicet ut dictetur, sic agere esse bonum vel delitum modo dicto. Patet secundo, quod cuiuslibet praxis est aliqua notitia dictativa; et per se motiva: et e contrario, a qualibet notitia practica est aliqua praxis aliquo modo causabilis et dictabilis de possibili. Patet tertio differentia inter praxim et speculationem, inter notitiam practicam et speculativam, habitum practicum et speculativum: quia habito et cognito **[95]** quid sit praxis, et quid notitia practica; cognoscetur per oppositum quid sit speculatio vel speculativum: quia per operabile et non operabile ut sic distinguuntur; notitia enim speculativa non dictat aliquo modo esse agendum, id est, non dictat viatori Tu debes sic vel sic operari [...] sed indicat aliquo modo esse praecise.

Ex his declarationibus elicio aliquas propositiones, quarum prima propositio est: Omnis praxis viatoris aut est laudabilis aut vituperabilis, et nulla est neutra. Non dico, omnis praxis a recta ratione dictata; nec dico, Omne operari: sed dico, Omnis praxis viatoris, quae est elective operari cum ratione dictante, per diffinitionem praxis. Item non dico, quod Omnis praxis sit meritum vel demeritum; sed, quod est laudabilis vel culpabilis. Et sic intelligendo propositionem probo illam faciliter: quia si aliqua praxis est elective recte operabilis, laudabilis est; sed si est elective contra rectam rationem, peccatum est; non autem dare medium poteris: quia ex quo taliter operari est ex ratione dictante, necessarium est rationem vel esse rectam, vel non rectam; ergo.

Secunda propositio bonum hominis secundum quod viator, est tendere operando in terminum aeternae mansionis. Patet, quia viator dicitur a viando, viare autem est transire ad

terminum: et hoc est bonum viatori ut viator. Dixi autem operando tendere: ad differentiam eorum qui sunt in purgatorio, qui tendunt ad beatitudinem patiando. Ex quo patet, quod bonum viatoris ut viator, et meritum vel mereri convertuntur: patet, quia utrumque est agendo tendere in Deum.

Tertia propositio: Bonum hominis secundum quod homo, et bonum hominis secundum quod viator, non sunt idem convertibiliter. Patet, quia beatum esse est bonum hominis in quantum homo, et non est bonum hominis in quantum viator.

Quarta propositio: Licet melius sit homini mereri per maius tempus finitum quam per minus, non tamen bonum est et mereri per tempus infinitum. Patet, quia sic nunquam fieret in termino, sed [96] semper careret bono ultimato creaturae rationalis. Ex quo sequitur, quod eligens perpetuo continuare praxes viatoris ut sic, eligeret contra rectam rationem; quia non est licitum velle perpetuo tendere in terminum nondum apprehensum. Secundo sequitur, quod quamdiu viator vult semper esse bonus viator, non est bonus viator: patet ex propos. 4.

Quinta propositio: Volendo tamdiu mereri quamdiu quis erit viator, aliquis meretur. Probatur: quia aliquis potest ex desiderio iusto velle tempus merendi suum esse brevius, quam erit; non tamen quod velit tempus meriti esse brevius, quam tempus viae, ita quod velit non quamdiu viator est mereri, vel nolit quamdiu viator est mereri; sed quia vult tempus viae abbreviari, per quod tamen tempus totum vult bene operari.

Et hoc de primo Articulo.

## ARTICULUS II

Ponuntur Conclusiones de Suppositis. Quantum ad secundum ponendae sunt conclusiones de duabus suppositis in quaestione: quorum primum est, quod Theologia sit speculativa aliqua, et aliqua practica: secundum est, quod speculativa Theologia sola ostendat viatori per se bonum.

Quantum ad primum suppositum; praemittam Theologiae tres descriptiones, ex quibus patebit ipsum primum suppositum esse verum. Uno modo Theologia viatoris (de qua nunc est fermo) accipitur ut est habitus veridicus infallibiliter, quo per se eruditur viator ad assentiendum indubitanter veris in Sacra Scriptura contentis, et his quae sequuntur ex his. Habitus est genus: veridicus infallibiliter ponitur contra opiniones et doctrinas plures humanas; quo per se id est per ea quae directe considerat; eruditur viator qui aenigmaticè novit; ad assentiendum assensu scilicet supra fidem, fidei tamen gradum certitudinis includente, ut dictum fuit supra in alia quaestione; [97] veris complexis scilicet; in Sacra Scriptura revelatis, vel his quae sequuntur ex eis, simpliciter vel coassumptis aliis veris non explicite contentis in ipsa. Et sic capiendo Theologiam potest brevius sic describi: quod Theologia est habitus sapientialis quo elicitur assensus de sic esse viatori certissimus, meliorque notitia de sic esse qualiter revelatur per Sacram Scripturam, quam habeat sola fide. Patet supra, per quaestionem principii; et ideo fidem nutrit quoad certitudinem defendit et roborat: et sic capit eam Augustin. de Trinit. 4. cum dicit: Huic scientiae tribuo non quidquid ab homine sciri potest, sed ista tantummodo quibus fides saluberrima, quae ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, et roboratur, et defenditur.

Sit igitur prima conclusio: quod Theologiam viatoris capiendo modo praedicto, ipsa est speculativa. Probatur: quia ut sic non est dictativa viatori aliquo modo esse agendum vel omittendum, qualiter agendum est: ergo ut sic non est practica, et per consequens est speculativa. Ex conclusione infero, quod quodlibet verum revelatum potest esse speculativae Theologiae obiectum totale vel partiale. Totale inquam est obiectum speculativae, quod est Deus trinus et unus, et consimilia, quae non partialiter includunt speciales practicas: partiale potest, cum dicitur ut hoc; creaturam rationalem debere diligere Deum super omnia, est conforme legi divinae aeternae et ratione rectae; quia hoc verum scilicet creatura rationalis, Deum debet diligere [...] practica vero est: et hoc est pars speculativi obiecti.

Secundo modo accipitur Theologia viatoris, prout est Habitus veridicus per se erudiens viatorem qualiter debeat bene agere gratia vitae aeternae adipiscendae. Habitus ponitur loco generis; veridicus dicitur contra falsas ethicas, et regulas falsas Philosophorum moralium (ut infra exemplificabitur) quae falsae sunt, et imperfectae, et fallibiles in moribus, et deviantes a recta ratione; per se erudiens scilicet ex his quae de directo docet; qualiter debeat bene agere scilicet ratione qua viator est, quia [98] debet tendere in finem seu terminum, scilicet in finem beatificum, et in Deum beatificaturum: et sic capit Augustin. 8. de Trinit. 6. Dico itaque pro secunda conclusione: quod Theologia illo modo capta est practica. Probat: quia quaelibet notitia complexa, ad quam ille habitus inclinatur, per se et de directo est dictativa qualiter ab agente agendum est gratia huius finis, et est motiva ad praxim; ergo, cum Theologia sic capta sit huiusmodi habitus, sequitur quod ut sic est practica. Patet consequentia per descriptionem habitus practici et notitiae practicae ex artic. praeced: et illo modo etiam capitur ab Apostolo cum docet, quod principale praeceptum est practicum, quia de optima praxi, quae est dilectio Dei: Trinis, inquit, praecepti est charitas: sed qualis charitas? audi quid adiungit ipse Apostolus: certe De corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta. Sic igitur docet qualiter sperandum est, et qualiter ex fide per dilectionem est operandum; et per consequens est practica.

Tertio accipitur Theologia integraliter pro ipsa duabus modis dictis simul accepta, quo modo eam accipit Apostolus 2. ad Timoth. 3. dicens: Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, scilicet virtutes speculativas; ad arguendum, scilicet falsitates opinativas, et contra negantes veritates in Canone expressas, vel ex eis elicitas; et haec est pars speculativa: et sequitur: Et corripiendum, contra male agere vel commissa; ad erudiendum, in iustitia, scilicet qualiter viator debet recte et iuste agere, ut per haec omnia perfectus sit homo Dei, et ad omne opus bonum instructus. Ecce totius Theologiae finis. Et sic est practica, quia docet Deum perfecte diligere, quod est totius Theologiae proprius finis tam practicae quam speculativae; sed speculativae est finis extrinsecus, practicae vero est finis intrinsecus.

Ex hoc patet, quod etiam Theologia speculativa ordinatur ad finem perfectiorem, quam sit cognoscere tantum; scilicet ordinatur ad claritatem, qua perfectus est homo Dei: et tunc sicut ait Augustin. de Cathedizandis. rudibus: Est opus bonum cum a [99] charitate iaculatur agentis intentio. Hinc est etiam quod Aegidius ponit in Prologo Theologiam effectivam scientiam, et non proprie speculativam, nec proprie practicam: quoniam licet proprius finis et intrinsecus speculativae partis est complexa cognitio vel speculatio; finis autem proprius et intrinsecus practicae partis, sed extrinsecus finis speculativae partis est dilectio seu diligere Deum qualiter debemus. Et quia Aegidius illam dilectionem non vocat puram praxim, sed secundum ipsum vera praxis est, quae est circa operabile a nobis; sed Deus non est operabilis a nobis, sed potius afficit nos, et nos circa ipsum afficimur; ideo, sicut dixi, vocat eam affectivam: potest tamen dici convenienter practica, sicut dicunt Scotus, Gregorius, et alii. Ex dictis etiam salvari potest, quod Theologia sit scientia una: quamvis enim secundum aliquam sui partem sit practica, et secundum aliquam speculativa, tamen quia ordinatur utraque in unum finem, scilicet in dilectionem Dei debitam. Vel proprius loquendo: tota Theologia secundum acceptionem eius ut speculativa, et secundum acceptionem eius ut practica, ordinatur in Deum diligere sicut diligere debet, tanquam in finem proprium intrinsecum ei prout est practica, et extrinsecum ei quantum ad partem speculativam. Idcirco una dicitur, quia finis unus est; et quia finis iste magis accipitur practice quam speculative, ideo forte Theologia viatoris plus esset dicenda practica quam speculativa, in quantum viator plus proficit per eam operando quam speculando.

Tertio conclusio: Omnis praxis recta hominis in aliqua lege vel doctrina contenta est perfectius et principalius a Theologia dictata et approbata. Probat: quia, sicut deducit Cassiodorus in lib. Institutionum, ipsa continet omnes regulas vitae moralis; idcirco quidquid lex naturalis menti impressa a Deo, et quidquid dictamen rectum iudicat pro loco et tempore agendum, totum continetur in Sacra Scriptura. Confirmatur: quia Sacra Scriptura est sufficiens directivum viatori datum ex lege aeterna; ergo circa quodcunque agibile, circa quod contingit

recte et non recte agere, potest et sufficit hominem dirigere et illustrare, ut dicit idem Super psal. 18. Cum igitur ipsa [100] praecedat omnes leges humanas et omne dogma morale humanitatis traditum, non quidem quando scripta fuit in lapideis tabulis, sed quando cum rationali creatura primum omnium creata est sapientia, scilicet in mentibus angelorum: sequitur igitur propositum.

Sed diceret: Ideo leges superfluent, et similiter tota Philosophia moralis Aristotelis et aliorum moralium Philosophorum. Patet consequentia, quia sunt similiter regulae ad praxes virtutum. Respondet M. Hugulinus, primo de legibus: quod nisi sint iniquae, circa quidquid suadent aut praecipiant aut prohibent vel dissuadent, Theologia totum perfectius atinet: ideo leges illae vel sunt decisiones casuum in terminis specialibus quae decisiones virtualiter continentur in Theologia implicite; vel suas secundo quadam vulgares et particulares descensiones ad actiones particulares vulgarium conformes moribus gentium diversarum, et hoc quantum ad leges municipales; vel sunt tertio taxationes ponarum temporalium speciales, quas explicite non ponit Theologia, non enim commiratur ponam pecuniariam, saltem in omni defectu in quo leges humanae comminantur. De Ethica dicit, quod est superflua fidelibus, nisi in quantum esset quidam brevis tractatus collegens quae sparsim ponit Theologia de diversis regulis virtutum; sicut Doctores faciunt Summas hodie de Theologia. Item dicit, quod Ethica pro maiori parte sit falsa, et pro parte qua non est falsa, est diminuta inutilis; quoniam nec virtutem cognovit Aristoteles, sed simulacrum virtutum: quod rationabiliter videtur esse dictum, supposito quod Aristoteles non fuerit fidelis nec in claritate, ut communiter creditur; qui enim virtutes exercent secundum doctrinam Aristotelis, scilicet propter ipsasmet operationes, utique peccarent esto quod praecessent in gratia. Item omnis virtus est connexa charitati; ergo nulla virtus haberi potest sine ipsa charitate, qua est forma omnium. Item iustitia legalis necessario praesupponit fidem, qua creditur in Christum, qui iustificat impium, dicente Apostolo: quia finis legis est Christus ad iustitiam omni credenti: ergo non credens in Christum non habet iustitiam legalem. Nec tanta debet reputari auctoritas Aristotelis, quod mutare possit vel tollere [101] doctrinam Apostoli: dicat enim Aristoteles quidquid velit, nihilominus Christus Deus est finis iustitiae et omnium virtutum, et principium et auctor earum. Ex quo infero, quod nullus infidelis, quamdiu fuit infidelis, bene et virtuose vixit. Hoc probatur per Augustin. super Ioan. quoniam, inquit, nec bene vivere dicendi sunt, qui finem bene vivendi vel per caecitatem nesciunt, vel per inflationem contemnunt; finis bene vivendi est vita, veritas, Deus, Trinitas, cuius via Christus: igitur qui viam ignorat, et ad terminum non bene vadit, nec est debitus viator per consequens, quia nec virtuose proficiscitur in terminum. Unde Augustinus 5. de Trinit. Neque enim est vera virtus, nisi quae ad eum finem tendit ubi est hominis bonum, quo nihil est melius.

Quarta conclusio: Principia practicae Theologiae notiora sunt in lumine naturali, quam alicuius alterius principia doctrinae moralis. Probatur inductive: quia hoc principium, Iustum est creaturam rationalem divinis mandatis, legibus, et praeceptis obedire; item secundo illud, Bonum est hominem conformiter agere legi aeterni Dei; item tertio, Rectum est credere vera esse quae prima veritas revelavit; item quarto, Bonum est creaturae adhaerere Deo, et sperare eius promissa; et quinto, Virtuose vivendum est gratia vitae aeternae adipiscendae. haec et alia principia similia nota sunt in omni secta, et in omni professione notiora sunt eorum oppositis; immo tam nota videntur, quod nullus, intelligens significata terminorum, posset eis dissentire, quia fundantur in communibus conceptionibus animorum et vigorantur.

Quinta conclusio: Principia Theologiae speculativae similiter notiora sunt in lumine naturali quibuslibet principiis alterius doctrinae, vel saltem non minus nota. Probatur sicut praecedens inductive: et primo de illo principio, Deus est summe bonus quem impossibile est male velle vel iniuste; item illud principium, Deus est summe sapiens quem impossibile est falsa existimare vera; item tertio illud, Deus est summe verax quem impossibile vitiose fallere quenquam, vel non debite praemiare; item quarto illud, Deus summe prudenter gubernat Mundum quem [102] impossibile est iniquas leges condere, vel a recta ratione exorbitare; item

quinto illud, Deus est summe beatus cuius consortium non potest esse miseria: haec et consimilia principia sunt maxime speculativa Theologia, nota cuilibet intelligenti quid significatur nomine Dei; ergo. Confirmatur haec conclusio simul cum praecedente: certum est enim, quod aliqua sunt principia doctrinae sive Philosophia moralis; sed quaecunque alia discrepantia ab illis datis sunt falsaevidenter, et faciliter in sua falsitate comprehendi possunt; ergo. Probo secundam partem antecedentis, scilicet quod omnia alia principia moralis doctrina discrepantia a dictis sint comprehensibilia in sua falsitate; quoniam illud: Bonum est homini bene agere: gratia speculandi superius a se: patet evidenter falsum; quoniam finis iste potest stare cum omnibus vitiis vel cum quolibet, potest enim vitiosus speculari abstractivae intelligentias. Item alius finis, scilicet ipsamet operatio ultimate intenta, id est, si ultimate et finaliter quaeritur, reddit sic intendentem miserum; quia volens agere vel agens praecise propter ipsam actionem praecise finaliter et ultimate peccat, quia fruitur utendis. Item secundo propter finem adeptum, quem ultimo ponit Aristoteles (scilicet speculari abstractivae intelligentias) nulla deerit miseria quae prius aderat, sive culpa sive poenae: et sicut probatum est de isto, ita faciliter potest apparere de reliquis discrepantibus a dictis principiis.

De secundo supposito quaestionis, scilicet, Utrum Theologia sola ostendat viatori per se bonum? praemitto talem distinctionem, quod per se bonum potest accipi dupliciter. Uno modo pro perfectissimo diligibili complacentia incomplexa: alio modo pro maximo eligibili electione vel volitione complexa. Primo modo Deus est infinitus diligibilis a creatura rationali: secundo modo aliquo modo esse est creatura rationali, maxime eligibile, scilicet Deo inhaerendo esse beatum, hoc enim est summum bonum creaturae, et desiderabilissimum pro ipsa secundam rectam rationem; et hoc est perfecte habere Deum, ut Augustinus concludit de vita beata circa finem dicens: Deum igitur habet [103] quisquis beatus est, cuius carentia summa est egestas, et summa miseria. Hic autem modus habendi Deum habet latitudinem suam, quae incipit a non gradu et vadit versus latitudinem perfectius habendi in infinitum, et hoc ex varietate creaturae non Dei. Notandum tamen quod in isto summo eligibili complexo principale bonum est Deus, secundarium vero est rationalis creatura, tertium vero quod requiritur ad dictum aliquo modo esse summe desiderabile, sunt praxes vel operari actus, quibus positus creatura beatificatur Deo viso agente continue eam beatam; ita quod per nullam qualitatem, qualis est unum accidens absolutum, creatura beatificatur; sed per sic operari.

His breviter praemissis sit prima conclusio: Nulla essentia, quae non est infinite perfectior qualibet creatura rationali, sufficit esse summum bonum. Probatur: quia nulla talis potest esse incommutabile bonum, et necessario bonum, et independens; quod totum requiritur ad esse summi boni: ergo.

Secunda conclusio: Nulla finita substantia potest esse creatura rationali summum bonum secundo modo dictae distinctionis. Patet: quia non sufficit ipsam beatificare, teste Beato Patre Nostro Bernardo sermo. 88. super Cantica; ubi probat diffuse, quod nihil finitum potest satiare rationalem appetitum amoris.

Tertia conclusio: Ad creaturam a Deo beatificari requiruntur, propter imperfectionem creaturae, aliqua accidentia nobilissimi generis accidentium, a solo Deo creabilia; quibus positus in creatura beatificata, nobilissimas operationes habet. Probatur de lumine gloriae, de visione et fruitione per Decretalem. Ratio huius est: quia creatura non est beata, nisi uniatur infinito bono; haec autem unio non potest esse substantialis respectu creaturae, quare est operationis intellectualis scilicet per transformationem dilectionis et delectationis, et per cognitionem satiabilis intuitionis: et substantia creaturae non potest esse illa visio vel fruitio; ergo requiruntur accidentia dicta. [104]

Quarta conclusio: Sola Theologia hoc bonum ostendit viatori. Probatur: quia ipsa ostendit viatori Deum esse summe bonum sibi, et nulla scientia hoc ostendit sibi; ergo. Consequentia nota. Probatur prima pars antecedentis: quia ostendit nobis Deum esse omne bonum nobis, cum replebimur in bonis domus Dei videntes bona Ierusalem coelestis; ut videas, ait Augustinus,

omnibus diebus vitae tuae ubi ponit aeternitatem, securitatem, satietatem, pacem etiam illam quae exuperat omnem sensum, perpetuam laetitiam, et aeternum gloriae pondus. Item quasi per totam Sacram Scripturam ostenditur, quod vita aeterna est summum bonum creaturae rationalis, et ultimus finis; et quod mors aeterna est summum eius malum. Secundam partem antecedentis, scilicet quod nulla alia scientia hoc ostendit, proba: quia si aliqua hoc ostenderet, illa ostenderet Deum esse infinite perfectum, creatorem animarum et spirituum, et beatificatorem eorundem, et largitorem perpetui gaudii in visione clara Trinitatis increata *etc.*: quod est falsum; cum haec sint revelata, et sint proprie veritates theologicae ut patuit supra.

Quinta conclusio: Theologia fuit necessaria viatori ad sui ultimi finis cognitionem. Patet ex praecedente: quia ipsa sola ostendit viatori suum ultimum finem, et optimum bene esse suum; ut eius gratia recte operando in ipsum tendat, tanquam in terminum perpetuae mansionis. Et haec de secundo articulo ponuntur conclusiones pro Solutione quaesiti principalis

### ARTICULUS III

In tertio articulo respondendum est ad quaesitum, scilicet: Utrum practica Theologia sit viatori necessaria ad dictum bonum suum consequendum? Ubi praemitto, quod non intelligo per necessarium esse impossibile aliter; manifestum est enim, quod multi beatificantur sive Theologia practica, sicut pueri et laici idiotae: sed intelligo sic, quod viatori docto et investiganti, dictamina practica sunt omnino necessaria et oportuna, et nullius doctrinae alterius moralis, et in ipsum in isto sensu pono conclusiones. **[105]**

Prima conclusio: quod, Quia sola Theologia dictat quis viatoris debitus finis, idcirco in ipsum tendenti est necessaria. Probatur haec causalis quoad secundam partem, quoniam prima probata est in artic. praeced. et arguo sic: cuilibet operanti per intellectum necessaria est cognitio finis debiti. Patet illud, quoniam operatur gratia finis; ergo debet praecognoscere finem: sed viator operatur per intellectum, non enim naturaliter movetur ut lapis, nec sensualiter tantum ut bestiae; si igitur sola dictat quis sit finis, ipsa est necessaria tendenti in eum. Confirmatur: quoniam nisi per hoc cognoscatur finis, non potest perfecte dictari quae media sint aptiora et meliora ad consequendum finem, et quae remotiora; ergo ut prius si sola Theologia est finis ostensiva, ipsa erit ad consequendum necessaria.

Secunda conclusio: Sola Theologia erudit viatorem per quae media attingitur proprius finis eius et ultimus de per se, et cum usu liberi arbitrii. Probatur: quia huiusmodi media sunt virtutes proprie theologicae, scilicet fides, spes, charitas, cum actibus earundem scilicet sperare, credere, diligere, sine quibus non est salus adulto; igitur sunt media necessaria ad finem: et certum est, quod Theologia sola docet illa media; ergo. Item tolerantia tribulationum pro Christi amore, contemptus rerum temporalium non ob aliud quam propter Deum, spes in Deum, et patientia in adversis, humilitas in prosperis, et hoc tantum propter charitatem Christi, sunt optima media perveniendi ad Deum, scilicet ad finem debitum viatoris: et hae media non docentur nisi in Sacra Scriptura, probante hoc Augustino de moribus Ecclesiae 13. ergo conclusio vera.

Tertia conclusio: Sola Theologia erudit viatorem ad per se malum evitandum, et ad hoc viatori est necessaria. Probatur: quia sola Theologia docet cognoscere viatorem quid est suum per se malum; ergo. Consequentia patet: quia malum non evitatur, nec evaditur nisi cognitum elective. Unde sicut in arte Medicinae notitia morborum est necessaria corporibus sanandis; sic suo modo est de spiritualibus morbis et medicinis. Sed probatur antecedens: quia sola Theologia **[106]** docet esse culpam originalem, quam ignoravit omnis alia doctrina moralis, et ipsa sola docet medicinam contra illud malum. Item ipsa sola ostendit, quod culpa mortalis est, quae est aversio ab incommutabili bene, vel frui utendis, vel uti fruendis, vel divinae legis praevaricatio, et coelestium inobedientia mandatorum. Haec omnia ignorat Ethica Aristotelis: haec autem, scilicet Theologia, contra quaelibet vitia docet medicinas, scilicet sacramentorum ritam



susceptionem; continet etiam notitiam omnium vitiorum; ergo. Et haec ratio fundatur in dictis Augustini super psal. 38. Secundo probatur conclusio sic: Theologia continet tam notitiam mortis aeternae, quae est expulsio a Deo secundum multitudinem impietatum, et quasi ultimata desertio sub potestate propriae affectionis et daemonis, quam remedia contra mortem aeternam; ergo cum mors aeterna sit per se malum viatoris, sequitur conclusio. Unde Augustin. super ps. 31. Aqua baptismalis, et poenitentialis lachryma, et sacramentorum remedia non fluunt de doctrinis gentium, nec opera misericordiae, nec orationis humilitas. Item tertio: sola Theologia comminatur pro culpa perpetuum supplicium, et tale quod excedit incomparabiliter omne supplicium humanitus notum; ergo ipsa est oportuna ad vitandum peccatum, et eius tam tremendum et horribile stipendium. Patet consequentia: quia initium conversionis est timor poenae, qui postea efficitur timor Domini, iuxta illud proverb. 15. Per misericordiam et fidem purgantur peccata, per timorem autem Domini declinat omnis a malo.

Quarta conclusio: Sola Theologia informat viatorem de propria fragilitatis necessaria cognitione. Probatur: primo enim docet, quanta sit ad bonum liberi arbitrii impotentia ex se; secundo, quanta sit contracta ignorantia circa agenda; tertio, quam gravis et quam continua est rebellio sensualitatis contra legem rationis; quarto, quam sit necessaria coassistencia et coefficientia gratiae; et cum his docet, qualiter potest viator de peccatis originalibus, et de servitute peccati ad libertatem iustitiae reduci: huiusmodi autem notitiam non esse necessariam viatori, nullus sanae mentis diceret; ergo conclusio vera. Consequentia nota est: et antecedens fati patet in diversis [107] passibus Scripturae et praecipue in Epist. ad Rom. per totum. Item patet per experientiam, quam liberati a peccatis habent in seipsis; quorum secundum Augustin. ad Marcellinum de Spir. et lit. sunt istae voces: Quis me liberabit de morte corporis huius. Item, per legem, inquit Apostolus, est cognitio peccati; sed per fidem est impetratio gratiae contra peccatum, et sanatio animae a vitio peccati, per animae sanitatem libertas arbitrii, per liberum arbitrium dilectio iustitiae, per dilectionem legis observatio et operatio praeceptorum, post quam non restat nisi vitae aeternae adeptio, quae est summum bonum viatoris. Patet igitur ex dictis, quam multipliciter est viatori necessaria Theologicae praxis notitia ad suum per se bonum consequendum: quod fuit principale in hoc Articulo probandum.

Quinta conclusio et ultima: Studere in Sacra Scriptura est praxis virtutis et exercitium meritorium. Haec conclusio est Adae in primo. quaest. 1. ubi satis diffuse probat ipsam. Potest tamen ex dictis probari: quia haec praxis est ordinabilis immediate ad vitae aeternae adeptionem; ergo est meritoria. Confirmatur per Augustin. de duabus animabus cap. 2. Mediocris, inquit, ne meriti cognitionem Dei arbitramini? Quasi dicat: Imo magni meriti est. Debemus igitur devote et humiliter in ea studere.

Ad rationes principales. Ad primam negetur antecedens. Et ad probationem dicendum est: quod ipsa docet esse tale bonum, et hoc ostendit fidei; igitur falsum assumitur in probatione.

Ad secundam negetur minor. Et cum probatur, quia dicitur Deum [...] dicendum: quod Theologia non dicit viatori secundum quod viator, *Diligere Deum ex toto corde [...]* quasi hoc praeceptum in via sit implendum; sed dicit Diliges, scilicet in futuro: ergo non valet instantia. Ad aliud cum dicitur, quod Deum infinite esse diligendum. Concedo. Et cum dicitur: quod nulla creatura [...] Dico primo, quod non sequitur, Theologia dicit Deum infinite esse diligendum; ergo dicit Deum infinite esse diligendum a te: tamen Dico secundo, quod tu debes Deum infinite appreciative diligere, [108] id est, prae infinitis aliis rebus; non autem amore infinito, qui esset actus infinitus in esse amoris. Ad aliud, quod non sit speculativa; patet quid sit dicendum ex 2. artic.

Ad ultimum quid sit dicendum; patet ex dictis in principio huius 3. artic. quoniam non sic capitur necessarium in proposito, sed sicut dictum est ibidem. Et haec de Prologo dicta sufficiant.

[109]